EXEQVAIS
VIRI
DOCTISS. ET HVMANISS.
DOMINI
CHRISTIANI DITMANNI
SILESII, COLLEGAE QVINTAE CLASS, BENE MERITI,
LONGO MORBO ET LANGVORE CONSVMTI,
EXVVIIS EIVSDEM 3. SEPTEMB. A. M. DCCXXII. PVBLICE COMPOSITIS,
CHRISTIANO AFFECTV PROSEQVI VOLEB.
RECTOR ET PROFESSORES GYMN. THORVN.



THORVNII,
Typis, Io. Nicolai, NOBIL, SENAT. & Gymnas. Typogr.

Ardua res æquis populum regnare ferocem
Legibus, utve ſalus vigeat diſcrimen adire.
Sæpe furit Brutus, conturbat ſæpe Camillus
Publica, victorique negant ſervire Catones.
Hinc ſervile genus ruptis ergaſtula vinclis
In dominos animare audet, Romamque laceſſit
Libertatis amans: hinc ordo nutat equeſtris,
Conſulibus par eſſe cupit, quia ſanguine priſco
Nititur, & reges fumoſaque ſtemmata iactat.
Ardua res, lituos & claſſica rauca ſeqvutos
Vulnera ſuſcipere, & ſaevo palleſcere Marte.
Sit ludus plerisque licet, tolerare calores
Eoos, & Hyperboreo conſtringier artus
Frigore. Quippe leves cupiunt praevortere fata,
Dumque volant aquilae, per ſtrata cadavera laetum
Pandere iter, quo praecipites victoria ducit.
Sic praeda exacuit, ſic temnit gloria manes,
Ardua res Cypriis trabibus transmittere pontum
Myrtoum, Borea luctari & flatibus Auſtri,
Et quaſſam reparare ratem. Nam Colchide fulgens
Lumina praeſtringit vellus, ridetque metallum
Nobilius. Non grandis hyems, non fervidus aeſtus,
Non pirata minax, non & Zanclaea Charybdis
Demovet hunc lucro, quin merx pretioſa petatur
Orbe alio, navisque gemat ſub pondere Pluti.
Tantum eſt, infido a teneris adſveſcere Glauco.
Res quamvis operoſa tamen, per vulnera vitam
Spargere, vel fragili totam committere cymbae,
Excelſosque animos populi iactarier undis:
Difficile haud minus eſſe putem, tractare tenellos,
In melius formare animos, & flectere mores
Eduros, quales corrupit noxa parentum.
Nam velut impulſae navis Palinurus habenas
Arte regit, torquetque carinam, & ſidera ſpectat,
Vt decimis ſubducat aquis: ſeu fervida qualis
Temperat, Avtomedon vel laxat colla caballo,
Nunc lento iubet ire gradu, nunc tendere curſu
Ad metam: volat ille, ſuo perque horrida ſaxa
Flammatus ſeſſore ruit, campoſque patentes.
Sic mihi parvorum moderator nempe Quiritum
Tranquilla iam fronte regit virtutis amantes;
Iam gravibus terretque minis cohibetque rebelles.
Non coelo tantum quondam fecere Gigantes
Bella, per aggeſtos ſcanſuri ad ſidera montes,
Rupturi pia regna Iovis: qvum tela Typhoeus
Tenderet, Enceladus vibraret fragmina montis:

Quamlibet ille Aetna preſſus vincliſque ligatus
Sudat Tartareis, hic fulmine tacta triſulco
Membra gemit, Iovis eſſe nihil flagrantius ira
Confeſſus, ſeroque nimis ſua crimina luget.
Bella etiam ſua Pindus habet, ſua vibrat Enyo
Arma, nec Eumenides famulae Iunonis avernae
Cunctantur torquere faces, ac laedere mentes.
Hac ſe Pigrities flectit, Torporque medullas
Mergitur in medias: illac ſua ſpicula mittit
Luxuries, vel Sirenas imitata canoras,
Vel, quae non cautos catulos allectat, Hyaenam.
Partealia Impietas furiato pectore fertur,
Non Ditem, non aſtra tremit, quia ſacra profana
Ex aequo ridet. Faſtus cervice ſuperba
Aſſidet, & ſolus nulla vult lege teneri:
Sive illum natale decus, vel opinio falſa
Attollit, temereque iubet mordere lupata.
Mox peſtes adſunt aliae, furioſa Megaera
Quas vocat in partes: Stupor, Ignorantia, recti
Contemtus, Riſus, clamorque & iurgia linguae.
Quid dicam obſcoenos mores, & agreſtia ſpirans
Ingenium, illotasque manus, oculoſque protervos.
Haec invicta phalanx cunctiſque potentior armis,
Invadit teneros animos ſtragemque minatur.
Quam magnis opus hic animis, quam pectore firmo,
Pubis ut erectus monſtra haec moderator ab imo
Pectore diſpellat, reſecet, tuta omnia praeſtet!
Soepius hinc illi lacrymae, ſudorque per artus
Diditur: exangvis facies, ſuſpiria, rixae
Totum vitai ſpatium mordentque premuntque.
Quid mirum, raro ſervare modeſtia vocem
Si potis eſt: turgent ſuffuſae ſangvine venae,
Et nec temperiem conſervant lumina; verum
Plurima mutati tempeſtas proditur oris,
Et vel carceribus cludit, vel cottabon urget.
Tantis pro curis, tanta pro mole laborum,
Praemia quae expectant miſerum? quod grande brabeum
Ponitur? Haud illi Tagus ramenta metalli
Proluit: haud cives ſervata prole coronam
Apponunt capiti: non facti gratia ſpirat,
Parvula non opibus deſtillat gutta ſuperbis.
Ni valeat numis, taeda ni forte iugali
Pauperiem fugiat, cunctis ignotus oberrat,
Morbiſque oppreſſo non eſt qui porrigat hauſtum
Dulcis aquae: ſatis eſt miſero Permeſſidos unda.
Cur, quia nodoſo nequiit conſurgere ligno
Mercurius, non informi de ſtipite Pallas.
O trunci vere inſipidi! Carnaria tantum
Vervecum in patria & cepe truncare ſueti!

Digni Cecropio sale quos detergat Apollo,
Quos urtica fricet, poliat vel pumice Phyllis.
At vos felices animae, infelicius aevum
Quos tulit, este animis mactae, durate maligna
Sorte, & Sisyphium saxum versate tenaci
Proposito: nullis vester delebitur annis
Aut labor aut nomen. Tellus ingrata recusat
Praemia? adest vindex, summi adsunt dona brabevtae.
Tellus Grammaticos clamat, tenebrosaque Pindi
Lumina? sideribus misti lucebitis olim,
Aeternum sine fine iubar lustrabitis olim.
Haec Te laeta tenent, quondam dilecte, reiectis
Corporis exuviis, **DITHMANNE**, nec amplius umbris
Interes, aut durae vexant ludibria sortis.
Rides Grammaticen, *casus* & *anomala* vitae:
Rides *arma virum*, nec iam sub tegmine fagi,
Sed carmen meliore nota meditare Tonanti.
Iam Tibi maiestas *numeri*, sine tempore *tempus*,
Personaeque patent Triadis: Non *crasis* iniqua
Contrahit aut frontem, aut arctat Tibi *systola* mentem;
Mensa Tibi divum ambrosia vel nectare stillat:
Expansus vitae *liber* est, *dominusque paterque*
Dat melius cognosse *genus*, dat carpere *fructus*
Aureolos: mille *species* tua lumina cernunt
Spirituum, svavisque Tibi est *coniunctio* coeli.
Te superum chorus omnis *amat*, Te *perdocet* altas
Abstrusasque vias, capiat quas nemo *legendo*,
Quas *audire* nefas, nisi qui sua *nomina* VERBO
Vitali descripta legat coeloque fruatur.
Gaude sorte Tua, propera Te immergere soli,
Iam propius visure Deum verosque penates.
Nos, dum foedari miramur vespere coelum,
Phoebeasque rotas mergi vel surgere ponto:
Magno intervallo sequimur, mundumque perosi
Mille per aerumnas similes luctamur ad ignes.
Interea, veteri neuquid decedat amori,
Verba sepulcrali lubet haec inscribere tumbae:
Hic situs est, Lygiis olim progressus ab oris
DITHMANNVS, patria extorris, nunc additus aulae
Hospes sidereae, magnus sine sangvine martyr.